

www.e-rara.ch

**Deus salvator et homo viator sive centuria theologica selectarum
propositionum historico-dogmatico-scholastico-moralium ...**

Walser, Iso

Typis Principalis Monasterii S. Galli, 1754

Stiftsbibliothek St. Gallen

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-119189>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20^e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

8
DEUS SALVATOR

ET
HOMO VIATOR.

S I V E

CENTURIA THEOLOGICA

SELECTARUM PROPOSITIONUM

HISTORICO - DOGMATICO - SCHOLASTICO - MORALIUM ;

SUB AUSPICIIS

REVERENDISSIMI,

AC

CELSISSIMI S. R. I. PRINCIPIS

DOMINI DOMINI

COELESTINI II

PRINCIPALIS MONASTERII S. GALLI, NEC

NON EXEMPTI MONASTERII S. JOANNIS IN VALLE THU-

RÆ ABBATIS, REGII ORDINIS BEATISSIMÆ VIRGINIS ANNUNTIATÆ

EQUITIS, PRINCIPIS AC DOMINI GRATIOSISSIMI,

SOLEMNI DISPUTATIONI

In eodem Principali Monasterio S. Galli

SUBJECTA

PRÆSIDE P. YSONE WALSER, EJUSDEM MONAST.

Prof. Capit. Ss. Theolog. Professor. Ordin.

ABS

R. F. MAGNO HUNGERBYEHLER, Ss. THEOL. CANDIDA-
to, ibidem Professo.

Anno reparatæ salutis M D CC LIV. Die 2^o Octob.

CUM LICENTIA SUPERIORUM.

Typis Principalis Monasterii S. GALLI.

DEUS SALVATOR

ET

HOMO VITAE

ET

CENTURIA THEOLOGICA

SELECTARUM PROPOSITIONUM

HISTORICO DOGMATICO SCIENTIFICIS MORALIUM

SUB AUCTORIS

REVERENDISSIMI

AC

CELESTISSIMI S. I. THOMAS

DOMINI

COLLESTII II

PRINCIPALIS MONASTII S. GALLI, NEC

NON IN ALIO MONASTIO S. JOHANNIS IN VALLE THUR

HE AUCTORIS, RECTORIS, CANTUARIENSIS, ET ALIIS AUCTORITATIBUS

SCRIPTIS, PRINCIPALIS MONASTII S. GALLI, NEC

NON IN ALIO MONASTIO S. JOHANNIS IN VALLE THUR

In eodem Principali Monasterio S. Galli

SUB AUCTORIS

REVERENDISSIMI S. I. THOMAS

CELESTISSIMI S. I. THOMAS

AC


REVERENDISSIMI S. I. THOMAS

CELESTISSIMI S. I. THOMAS

Anno reipublice salutis M. D. CC. LXX. D. III. Idibus

CUM LIBERTATE SUBSCRIPTIONUM

Typis Principalis Monasterii S. Galli



P A R S I.

DEUS SALVATOR.

D E C A S I.

DE INCARNATIONE VERBI DIVINI.

I. **A**dventus Messiae, in Lege praenuntiati liquet ex Vaticinio Jacob *Gen. 49.* In quo per *Juda* totam Judaeorum nationem intelligi defendimus : Herodem verò, in quem translata est suprema potestas, inter alienigenas numeramus.

II. Testimonium Josephi *lib. 18. Antiquit.* de JESU Nazareno autographum est, ac genuinum : Neque Oracula Sibyllarum de Christo sunt figmenta Christianorum ; licet eadem non extent incorrupta. Demum acta Pilari spuria aut conficta non sunt ; & verè de Christi Apotheosi apud Senatum Rom. egit Tiberius Imperator.

III. Epistolae Abgari ad Christum, & Christi ad Abgarum sunt genuinae.

IV. Joannes Antiochenus personae, non errori Nestorii favit : Neque repudiando Anathematismos S. Cyrilli Alexandrini, qui ab errore Apollinaris omnino immunes doctrinam continent orthodoxam, probavit Nestorii, aut Pelagii dogmata.

V. Theodoretus verò non solum personae Nestorii, sed ejusdem etiam errori aliquando adhæsit ; respuit tamen, in Synodo Chalcedonensi Nestorium, ejusque dogmata damnare meritò coactus, in qua eadem Synodo Dioscorus ob hæresim etiam anathemate percussus fuit. *Henoticon* autem Zenonis nullam quidem continuit hæresim ; meritò tamen rejectum est.

VI. Tria Capitula in V. Generali Concilio jure fuerunt proscripta tanquam Nestoriana.

VII. Monothelita non fuit Honorius I. nec ejus ad Sergium epistolae monothelismo infectae sunt ; neque ut verus hæreticus à Synodo VI. Damnatus est.

VIII. Hæc propositio : *Unus è Trinitate passus est carne*, orthodoxa est ; unde Monachi Scythae ejus assertores Eutychianis accenseri non debent. S. Hilarius Pictaviensis Christo verum Corpus, & doloris sensum attribuit.

IX. Peccatum mortale in ratione offensae non est simpliciter infinitum.


X. Christus vi praesentis decreti venisset etiam Adamo non peccante : Idem meruit B. Virgini Maternitatem, nec non omnibus Angelis, & hominibus omnem gratiam & gloriam : Habuitque præceptum moriendi rigorosum, impedibile tamen ; quo non obitante liberè moriendo meruit, & satisfecit ex rigore justitiae.

D E C A S II.

DE IMPUGNATORIBUS GRATIÆ SALVATORIS, EORUMQUE
FALSIS DOCTRINIS.

XI. *De Pelagianismo.* Pelagius patriâ Britannus, instituto Monachus, non Clericus, cujus in errore prodromi fuere Origenes Adamantius, Rufinus Aquilejensis, Caelestii magister, Theodorus Mopsuestenus, nunquam agnovit internam gratiam, quæ voluntatem adjuvat per inspirationem charitatis ; licet denique admiserit ut necessariam internæ illuminationis gratiam. Porro Diospolitana Synodus etsi Pelagium absolverit, ejus tamen errorem damnavit. Neque Caelestii hæresim, qui in Synodo Carthaginensi anno 412. Damnatus, ad Romanum Pontificem appellavit, Zosimus Papa approbavit.

XII. Ad quemlibet actum salutarem, etiam ad initium fidei, & pium credulitatis affectum, necessaria est aliqua gratia strictè dicta, intrinsecè supernaturalis, actualis, excitans ad agendum, etiam in homine justo, libero arbitrio ac promulgationi legis & Evangelii superaddita : Imò præter illuminationem intellectus ad quemvis actum salutarem absolutè ne-



cessaria est gratia immediatè afficiens & excitans voluntatem, seu complacentia & delectatio indeliberata, specialiter à DEO infusa, & inspirata.

XIII. *De Semipelagianismo.* Semipelagiani ad initium fidei necessariam admiserunt gratiam illuminationis, etiam interioris, non tamen inspirationem delectationis ex parte voluntatis.

XIV. Inter eos fuerunt Cassianus D. Joannis Chrysostomi discipulus (non tamen ipse S. Magister) Faustus Rejenfis Episcopus, Vincentius Lirinensis, & Gennadius: S. Hilarii Arelatenfis certus est semipelagianismus, incerta verò ejusdem abdicatio.

XV. *De Bajanismo.* Non sunt subreptitiæ Rom. Pontificum adversùs Bajum constitutiones: Et in Bulla Pii V. *Ex omnibus*, de anno 1567. Ejusdem Baij Propositiones LXXIX. In sensu ab assertoribus intento, damnatæ fuerunt; cui damnationi nefas est refragari.

XVI. Licet sine gratia possit amari DEUS super omnia amore naturali; nihilominus ad legem etiam purè naturalem diu observandam, & vincendas graves tentationes legi contrarias, in statu naturæ lapsæ, necessaria est gratia supernaturalis

XVII. *DEUS facienti quod est in se* per vires naturæ, infallibiliter confert primam gratiam supernaturalem ad fidem; adeoque potest se homo negativè disponere ad gratiam.

XVIII. *De Jansenismo.* V. Propositiones Jansenii non solum sunt contrariæ S. Augustini Doctrinæ; sed etiam meritò damnatæ ab Ecclesia, & quidem in sensu Jansenii: Nam Papa est infallibilis in *Questionibus facti Dogmatici*, qualis est de sensu propositionum Jansenii: Neque verum est, Constitutiones Alexandri VII. Reformatas fuisse ab Innocentio XII. In Decreto, in forma Brevis edito anno 1694.

XIX. Perjuri sunt, qui obsequiosò, ut ajunt, silentiò & simulatione, celebri Formula-rio, ab Alexandro VII. Anno 1664. præscripto, subscribunt.

XX. Constitutio Clementis XI. *Unigenitus*, annò 1713. edita, qua 101. Propositiones à libro Paschasii *Quesnelli* excerptæ damnantur, ab omnibus fidelibus recipienda est; & ab ea idem Quesnellus anno 1719. Iniquè appellavit ad Concilium cecumenicum.

DECAS III.

DE GRATIA SUFFICIENTE, ET EFFICACE, JUSTIFICATIONE, AC MERITO.

XXI. De fide est, dari in hoc statu gratiam verè ac propriè sufficientem relativè ad præsentem difficultatem: Nulla tamen gratia sufficiens in hoc statu habet effectum sine efficace; licet completam, & expeditam benè agendi potentiam tribuat relatè ad oppositam cupiditatem.

XXII. Gratia proximè vel remotè sufficiens confertur à DEO *justis* omnibus, urgente præcepto; item *peccatoribus* fidelibus non obstinatis; imò etiam obstinatis dantur auxilia remotè vel proximè sufficientia ad agendam pœnitentiam:

XXIII. Et *infidelibus* tam positivè quàm negativè talibus à DEO conferuntur, vel certè offeruntur gratiæ sufficientes, quibus perducì possint ad fidem, & justificationem.

XXIV. Gratiam *efficacem* nullam inferre homini necessitatem, fidei dogma est. Efficacia tamen gratiæ non est reperenda ab effectu, & consensu voluntatis, ut voluit Ludovicus Molina;

XXV. Neque à circumstantiis, quas DEUS per *scientiam Mediam* prævidit ita congruas, ut gratia ab ipso misericorditer præparata, in iis infallibiliter sit habitura effectum; prout Molinae sententiam temperandam censuit Suarezius.


XXVI. Gratia igitur est *intrinsecè* efficax, non tamen in sensu Thomistarum; nec consistit in Præmotione physica;

XXVII. Nec item in *Delectatione victrice relativè superiore*, necessitante in sensu Jansenii.

XXVIII. Sed in præveniente *Delectatione victrice*, non necessitante, nec physicè, sed moraliter determinante.

XXIX. In *justificatione* impii verè & propriè remittuntur peccata, nec solum teguntur; ita ut homo intrinsecè justus sit per gratiam intrinsecè inhaerentem, quin tamen eadem habitualis gratia seipsà adæquatè constituat hominem justum ac Filium DEI adoptivum, nullo favore DEI extrinsecò spectato.

XXX. Homo justus nec de condigno nec de congruo strictè sumpto potest *mereri* gratias efficaces, quibus infallibiliter obtineatur finalis in statu gratiæ perseverantia, nec ipsam perseverantiam.



DECAS IV.

DE SS. SACRAMENTIS IN GENERE, ET DE BAPTISMO, AC CONFIRMATIONE IN SPECIE.

XXXI. *Sacramenta* sunt fontes gratiæ, per quam *DEus Salvator* hominem salvat: & sicut in lege naturæ extitit aliquod remedium contra peccatum Originale, etiam pro parvulis; ita in lege nova sunt septem numerò Sacramenta, omnia immediatè à Christo instituta, quæ producant gratiam ex opere operato, non physicè sed moraliter: Cùm econtra Circumcisio non fuerit instituta in remissionem peccati Originalis, nec contulerit gratiam ex opere operato.

XXXII. *Fides Ministri* Sacramentorum non est absolutè necessaria ad valorem Sacramenti;

XXXIII. Requiritur tamen intentio vera faciendi id quod facit Ecclesia vera; nec sufficit *intentio externa*, qua quis Ecclesiæ ritum exterius quidem seriò peragit, sed intus vel joculari vel deridere tantùm, & fingere, vel ut rem merè naturalem aut profanam exercere vult, non autem formaliter ut ritum Ecclesiæ, aut rem sacram.

XXXIV. *Baptismus* à Christo institutus fuit ante Passionem, dum à Joanne baptizaretur in Jordane.

XXXV. Neque valet, neque valuit unquam Baptismus in nomine Christi collatus sine expressa invocatione Ss. Trinitatis.

XXXVI. Hæreticos esse *rebaptizandos* senserunt Agrippinus, Tertullianus, Dionysius Alexandrinus, M. Basilius, Firmilianus, & S. Cyprianus;

XXXVII. Cujus genuina est ad Pompejum, sicut & Firmiliani ad Cyprianum epistola.

XXXVIII. S. Stephanus Pont. Rom. Qui in errorem Cyprianico contrarium minimè lapsus est, censuram quidem Cypriano, aliisque rebaptizantibus comminatus est, sed intra minas hæsit. Porro oblectatio S. Cypriani adversus Decretum Stephani non officit infallibilitati Pontificis; cùm ipse aliique illius sequaces natam de hæreticorum Baptismo controversiam non ad fidem, sed ad disciplinam spectare crediderint. Idem tamen Cyprianus ante mortem errorem suum deseruisse probabilius videtur.

XXXIX. Veritas Sacramenti *Confirmationis* efficaciter probatur ex Ss. Litteris, & constanti ac perpetua Ecclesiæ Traditione: Ejusdem essentialis adæquata materia est impositio manuum & unctio Chrismatis; author verò & immediatus per se institutor fuit Christus Dominus.

XL. Ministrum hujus Sacramenti quod attinet, is ordinarius est solus Episcopus; ex delegata autem auctoritate, seu dispensatione etiam simplices Presbyteri. Denique addimus, ritum, quo olim hæretici ad Ecclesiam reversi recipiebantur, nequaquam fuisse Sacramentum Confirmationis, sed Cæremoniam Ecclesiasticam.


DECAS V.

DE SS. EUCHARISTIA, POENITENTIA, EXTREMA UNCTIONE, ORDINE, ET MATRIMONIO.

XLI. Vera, realis, & substantialis præsentia Corporis Christi in *Eucharistia* efficaciter probatur ex verbis promissionis *Joan. 6.* ex verbis institutionis *Matth. 26.* ex constanti antiqua & unversali SS. PP. & totius Ecclesiæ Traditione: Neque humana ratione sensuumque judicio probari potest impossibilis eadem realis præsentia. Fabulantur ergò Novatores, dum insensibilem quamdam mutationem in fide circa Eucharistiam nono sæculo inductam asserunt.

XLII. In Romana Ecclesia ab Apostolorum ætate ad nostra usque tempora perpetuò viguit Azymorum usus: Et apud Græcos obtinuit usus fermentati jam ante exortum schisma Photianum.

XLIII. Essentia Sacrificii Missæ consistit in sola consecratione; per quam aqua vino mixta immediatè vi verborum convertitur in Sangvinem Christi: Verum autem ac propriè dictum Sacrificium in Missa offerri, contra Novatores efficaciter demonstramus ex scriptura & Traditione. Porro licet consecratio utriusque speciei ad essentiam Sacrificii pertineat; nullum tamen extat præceptum divinum, quo Laici teneantur ad sumptionem utriusque speciei; unde Ecclesia justissimis, gravibusque de causis usu calicis Laicis interdixit; velut jam olim ante XII. sæculum in Ecclesia occidentali Eucharistia sub unica panis specie frequentissimè sumebatur. Accedit, quòd eadem conferatur gratia communicanti sub una tantùm specie, quæ utramque sument.



XLIV. *Penitentia* est verum Sacramentum à Baptismo distinctum, per quod peccata verè dimittuntur. Attritio Christiana sufficit ad valorem & fructum Sacramenti penitentiae; eadem tamen quemdam Dei amorem saltem inchoatum & initialem includere debet, ut sit dispositio sufficiens ad gratiam.

XLV. Circumstantiae in eadem specie notabiliter aggravantes non sunt *universim* necessariò aperiendae in confessione. Quod spectat peccata dubia, ita sentimus: qui confessus est bona fide peccatum mortale dubium, ut dubium, postea deprehendens illud ut certum, probabilius non tenetur illud iterum ut certum confiteri. Si dubium sit utrumque *positivum de peccato Commisso*, seu si ratio gravis sit pro commissione, & simul gravis pro libertate & innocentia, non est obligatio confitendi: Si verò certum sit, actum esse commissum contra legem graviter obligantem, & dubium utrumque *positivum de plena deliberatione, advertentia, & pleno consensu*, communior benè docet, non esse obligationem confitendi. Si dubites dubio utrumque *positivo*, an *peccatum grave certò commissum sis confessus*, ex multorum probabili sententia non teneris confiteri. In his tamen omnibus caveant Confessarii & penitentes, ne confictis & falsis persuasionibus decipiantur, pro dubiis habendo quae certa, aut pro probabilibus quae improbabilia sunt; valde enim proclive est, minùs timoratos hæc perperam interpretari & conscientias plus æquo laxari. Si dubium sit *negativum pro libertate*, & *positivum pro obligatione*, teneris confiteri. Denique peccata pure seu utrumque *negative dubia* non sunt materia necessaria confessionis.

XLVI. *Extrema unctio* est verum novæ legis sacramentum; ad ejus essentiam sufficit una unctio.

XLVII. *Ordines* minores sunt vera sacramenta, quod fortiùs adhuc assertitur de subdiaconatu: nec non Diaconatu, ad quem *Act. 6.* promoti fuerunt viri illi septem. Episcopatus pariter est Sacramentum à Presbyteratu distinctum.

XLVIII. Materia essentialis Sacramenti Ordinis est manûs impositio; qualis etiam ceteri debet ipsa *traditio instrumentorum*.

XLIX. *Matrimonium* proprii nominis est Sacramentum; cujus minister non est Sacerdos, ut Galli volunt, sed ipsi contrahentes.

L. Matrimonia hæreticorum in locis, ubi Tridentinum fuit promulgatum, sunt irrita. Valent tamen matrimonia inita sub pacto servandæ continentiae, unde inter B. Virginem & S. Josephum legitimum intercessit conjugium. Valet item matrimonium cum pacto educandæ prolis in secta Hæretica.

P A R S II.

H O M O V I A T O R.

D E C A S I.

D E L E G I B U S.

I. **N**orma secundum quam homo viator ad DEum accedit, sunt *Leges*, non solum divinae, sed etiam humanae, tam civiles, quam Ecclesiasticae. Et quidem Ecclesia potest directè præcipere actus etiam merè internos: Ipse tamen Legislator etsi in materia gravi possit obligare subditos sub veniali solum peccato, non tamen potest rem, omnibus inspectis Levem, præcipere sub mortali. Id tamen Legislatori humano concedimus, quodd ipse per se directè non teneatur suis legibus.

II. *Promulgatio* constituit ipsam formam, essentiam, & vim obligativam Legis. *Leges Imperiales*, ut subditos obligent, debent in singulis provinciis, seu earum metropoli promulgari; imò etiam promulgatae non obligant nisi elapsis duobus mensibus à die promulgationis.

III. Econtra ad *Legem Pontificiam* sufficit promulgatio Romæ facta, nec ad ejus obligationem requiritur lapsus duorum mensium. Contraria tamen plurium Theologorum opinio, requirens promulgationem in singulis diæcesibus est practicè probabilis.

IV. Cives, & Diæcesani non obligantur legibus sui Territorii aut domicilii, quando sunt absentes; imò per se loquendo licitum est exire ex proprio territorio præcisè ad declinandam obligationem legis, & se ab ea eximendum; aljud tamen statutum est in casu Matrimonii clandestini in loco, ubi Tridentinum non est promulgatum, contrahendi.

V. Peregrini & vagi licet obligentur statutis particularibus locorum, per quæ transeunt, *localibus*; non tamen tenentur statutis eorum personalibus.

VI. Ut præcepto satisfiat, non requiritur intentio satisfaciendi, sed sufficit intentio ponendi actum; quam non tollit expressa voluntas non satisfaciendi. Potest item impleri præceptum humanum per actum ex aliqua circumstantia malum.

VII. Potest Legislator condere legem purè pœnalem, quæ nullatenus obliget sub peccato proximè & immediatè: Lex tamen tributorum non est merè pœnalis ex genere suo, sed verè & propriè obligat in conscientia; unde Gabellæ, si existat lex, vel statutum, aut consuetudo manifestandi merces, & Gabellam solvendi, debent in conscientia solvi, etsi non petantur.

VIII. Lex simpliciter *prohibens* aliquem actum sine addita clausula irritante, non est hoc ipso irritans, nisi personas reddat ad agendum inhabiles.

IX. Similiter lex simpliciter *irritans* actum non hoc ipso irritat etiam pro foro interno. Denique etiam ob identitatem rationis lex regulariter ad casum lege non comprehensum extendenda non est.

X. Lex fundata in *præsumptione* generalis periculi, obligat in conscientia, etiamsi in casu particulari *præsumptio* fallat: e contra lex in *præsumptione facti* fundata, non obligat in conscientia, quando fallit *præsumptio*.

DECAS II.

DE FIDE, VERBO DEI, ECCLESIA, & ROMANO PONTIFICE.

XI. *Fidei* Divinæ objectum formale proprium est *Authoritas & locutio* Divina simul; adeò ut Revelatio externa sit partiale motivum fidei. Id ipsum asserimus de revelatione *virtuali & universali*, imò etiam *privata*, non tamen de *existimata*.

XII. Fides & scientia conjungi possunt tam in uno, quàm in pluribus actibus; nec repugnat eandem stare cum evidentia in attestante.


XIII. Datur *scriptura sacra*, h. e. verbum DEI scriptum ipso afflante; quæ tamen est obscura etiam in creditur necessariis, unde sola non est infallibilis fidei Regula, & Judex controversiarum. Hæretici non possunt probare existentiam S. Scripturæ, nec Canonem SS. Librorum, nec versionem authenticam. Porro licet præter specialem Spiritus S. assistentiam in scriptoribus sacris admittenda sit inspiratio Divina; non tamen ijs omnia fuerunt specialiter revelata. Inter versiones veteris Testamenti celeberrima est *Versio LXX*. Interpretum, qui non solum V. libros Moysis, sed libros omnes scripturæ Hebraicæ scriptos, & in canonem Judæorum relatos, in Græcam linguam transtulerunt; non quidem in totidem distinctis cellulis, sed communi inter se collatione. Editio *Vulgata*, cujus author est D. Hieronymus, ex Decreto Concilii Tridentini *Sess. 4.* Authentica est, & absolutè ac simpliciter fidelis in ijs, quæ ad fidem & mores spectant, cæterisque latinis editionibus præferenda, non tamen ipsis fontibus Hebraicis & Græcis.

XIV. Dantur *Traditiones* Divinæ, quæ non solum sunt infallibilis regula Fidei, & morum, sed etiam continent res ad salutem necessarias.

XV. *Ecclesia* est cætus hominum unius & ejusdem fidei Christianæ professione, & eorundem Sacramentorum communione conjunctus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipuè Romani Pontificis. Vera autem Christi Ecclesia ita est una, ut prorsus excludat quascunque alias societates, quarum fides diversa est & erronea in articulis etiam non fundamentalibus, utque extra ipsam nulla sit speranda salus. Quoniam verò hæc unitas in sola Romano-Catholica Ecclesia reperitur, hinc meritò schismatici, & extra spem salutis positi convincuntur Calviniani, Lutherani, aliique. *Catholicitas* vera ac singularis Ecclesiæ nota, soli Romanæ Ecclesiæ, non autem ulli Protestantium societati convenit. Perpetua veræ Ecclesiæ visibilitas, nota necessaria, soli Societati Catholicorum, non verò Protestantium congruit. Ecclesia Romano-Catholica nunquam defecit, nec unquam defutura est.

XVI. Supremus ac infallibilis *Controversiarum fidei judex*, neque sola scriptura est, neque privatus spiritus, neque Princeps sæcularis, sed Ecclesia Christi; quæ sive per orbem universum diffusa, sive in Conciliis generalibus congregata, errare non potest in causis fidei & morum definiendis: Quam infallibilitatem convenire Romano Pontifici unà cum multitudine Episcoporum, etsi paucis ex adverso reclamantibus, certum est, uti nec Galli negant. Patres verò Ariminenses subscribendo formulæ sibi ab Arianis oblatae, in hæresim arianam verè prolapsos esse, calumniantur hæretici.

XVII. De *Capite Ecclesiæ* acturi, id primùm asserimus, S. Petrum & Romæ sedisse, & ibidem mortuum esse. Eundem verò Primatum supra alios Apostolos accepisse à Christo, ex Scripturis & constanti SS. Patrum traditione evincimus. Deinde de fide tenendum, Romanum Pontificem jure Divino *Primatum honoris & jurisdictionis* obtinere in tota Ecclesia



supra alios Episcopos ; quod probant Concilia , Patres Græci , & Latini , gestæque Pontificum.

XVIII. Contra 4. Famosas Cleri Gallicani propositiones in Comitibus Generalibus anni 1682. cum saniori Theologorum turba sentimus *primò*, Romanum Pontificem in Principes sæculares eorumque regna , potestatem habere indirectam : *Secundò*, Eidem competere potestatem omni Concilio superiorem : *Tertiò*, In quæstionibus fidei , & morum , nec non facti dogmatici , Romani Pontificis sententiam & iudicium irreformabile esse , dum etiam extra Concilium è cathedra loquitur , independentè à consensu Episcoporum. *Quartò* Denique , Christi in terris Vicarium necessitate aut utilitate Ecclesiæ id poscente , in legibus Canonicis dispensare posse : Quidquid contra moliantur Galli.

XIX. De fide est , modernum Pontificem Benedictum XIV. esse verum Papam , & Christi in terris Vicarium.

XX. Apostoli reverà sunt Auctores symboli , eorum nomine insigniti ; quod licet omnes communi opera confecerint , gratis tamen & sine solido fundamento singulis Apostolis suus articulus assignatur. Id ipsum inter sacras scripturas numerandum non est.

DECAS III.

DE SPE , ET CHARITATE.

XXI. Peccans *sub spe* veniæ per confessionem consequendæ , non committit peccatum præsumptionis , dummodò spes veniæ non sit causâ principalis peccati.

XXII. Reum se falsus ex vi tormentorum , cum planè innocens sit , non tenetur revocare , nec cum tanto cruciatu vitam tueri.

XXIII. Denuntiationi judiciali præmitti non debet secreta monitio , seu correctio fraterna , nisi delictum occultum ipsi peccanti solum , vel alteri privatæ personæ noxium sit.

XXIV. Pœnitens à Confessario sollicitatus ad res turpes , tenetur eundem denuntiare , etsi crimen occultum probare non possit.

XXV. Divites tenentur sub gravi peccato dare eleemosynam de absolutè superfluis etiam in communi pauperum ostiatum mendicantium necessitate. Item quando proximus absolutè re & spe pauper est , & versatur in extrema necessitate , præcepto eleemosynæ non satisficit mutuando , aut vendendo , sed debet donari gratis.

XXVI. Illicitum est constituere alium in periculo peccandi v. g. furandi , delicti occasionem ei offerendo , eum in finem , ut in scelere deprehensus corrigatur , & emendetur.

XXVII. Ordo Correctionis fraternæ , à Christo præscriptus *Matth. 18.* de præcepto servandus est etiam in Religionibus ; neque prætermittenda correctio secreta licet delictum deferre ad superiorem *velut ad Patrem spiritualement*.

XXVIII. *Scandalum* activum etiam *indirectum* est speciale peccatum contra charitatem. Non peccant tamen *famuli aut famulae* , dum obediunt suis heris in actionibus , ad eorum peccata remotè ordinatis ; peccant verò , si actiones illæ ad peccata proximè ordinentur.

XXIX. Determinato ad majus peccatum , non licet suadere minus , ad quod non est determinatus.

XXX. Virgo elegantis formæ , sciens , se turpiter amari à Liberio , quoties in ejus oculos incurrit , peccat graviter , si liberè & citra causam eidem sæpius se conspiciendam obijciat , cum *sine incommodo* se se subducere posset , etsi talem amorem non intendar.

DECAS IV.

DE RELIGIONE ET JEJUNIO.

XXXI. Vovens in materia gravi potest se obligare sub veniali.

XXXII. Dubitans invincibiliter de animo vovendi & se obligandi , non tenetur voto , dubitans verò de sufficienti deliberatione & libertate , tenetur voto.

XXXIII. Votum perpetuæ castitatis conditionatum , etiam impleta conditione non est reservatum summo Pontifici.

XXXIV. Vovens jejunium singulis feriis sextis per aliquot annos , tenetur jejunare etiam in Festo Natalis Domini , in feriam sextam incidente.

XXXV. Decimæ Novalium propriè dictorum spectant ad Parochum.

XXXVI. Privilegium à Decimis indefinitum eximit etiam à Novalibus.

XXXVII. Sanctos esse invocandos , & colendos , contra Novatores efficaciter probatur.

tur ex perpetua traditione Ecclesiæ. Defunctis in fama Sanctitatis exhiberi potest cultus privatus, non publicus.

XXXVIII. SS. Reliquiis, & Imaginibus sanctorum cultum respectivum optimè exhibent Catholici; nec quidquam valent, quæ in contrarium ex Historia Ecclesiastica & Conciliis objectant Novatores.

XXXIX. Sexagenarii probabilius non amplius obligantur ad abstinentiam à secunda refectione die jejuni.

XL. Cui permissus est esus carniarum, non hoc ipso solutus est à jejunio seu abstinentia vespertina. Refectionem jejunii die multum v. g. duabus vel tribus horis ante meridiem anticipans, non peccat graviter: Econtra prandium in die jejunii protrahentes ultra tres circiter horas peccant graviter.

DECAS V.

DE JURE ET JUSTITIA, CONTRACTIBUS, RESTITUTIONE, &c.

XLI. Clerici habent plenum Dominium bonorum beneficialium, etiam superfluum; nihilominus per se tenentur redditus superfluos expendere in causas pias, non ex jure naturali, aut divino, sed positivo Ecclesiastico.

XLII. Venditor determinatè tenetur tradere ipsam rem venditam, nec liberatur interesse solvendò, si emptor petat impletionem contractus: si tamen venditor rem venditam tradiderit secundo emptori, tunc posterior venditio, regulariter loquendo valet. Periculum rei venditæ, necdum traditæ, regulariter est penes emptorem, quando res in specie, perfectè, & absolute est vendita.

XLIII. Pactum venditionis & emptionis reciprocae, quod ab Hispanis *Mobatra* vocatur, est illicitum, & usurarium. Chirographa multis difficultatibus, & molestiis expensarum & solutionis ægrè obtinendæ subjecta possunt licitè minoris emi. Debita verò immatura, id est, posteriori tempore solvenda, non possunt per anticipationem solutionis minoris emi sine usura. Neque licet merces carius vendere, extra limites justii pretii ordinarii, ob solam dilationem solutionis, cessante periculo sortis, & damni emergentis, &c.

XLIV. Vinum notabili aquæ quantitate mixtum, ita tamen, ut non efficiatur deterius illò, quod passim venditur ab aliis, si pretium à lege non sit taxatum, potest eo quo ab aliis venditur pretio vendi iis, qui illud brevi sunt distracturi, non verò iis, qui ad longius tempus illud sunt servaturi. Sin verò pretium sit à lege taxatum, non potest exigi totum pretium, nisi foret manifestè injusta taxa.

XLV. Qui bona fide emit rem alienam, potest licitè consulere suæ indemnitati, eandem furi reddendo, & pretium repetendo. Denique is, cui venditio annuli aurei v. g. commissæ fuit, non potest pretii designati incrementum sibi retinere, extra casum pacti, vel industriæ singularis.

XLVI. Famuli non impediunt furta famulorum aut aliorum, non tenentur ad restitutionem, nisi specialis similium rerum cura iis fuerit commissæ.

XLVII. Valet pro utroque foro ultima voluntas, ab hærede ab intestato contra seipsum confessata, licet omni destituatur solemnitate. Imò etiam Testamenta imperfecta, seu solemnitatibus juris civilis destituta, valent in foro conscientiae.

XLVIII. Non est obligatio ante sententiam in conscientia compensandi damnum culpa merè juridica datum.

XLIX. Censui Germanici immunes sunt ab usura. S. C. M. non eximit Filiumfamilias ab obligatione naturali ex mutuo contracta. Judex non potest condemnare eum in causis seu criminalibus, seu civilibus, quem privatâ scientiâ novit innocentem. Compensatio occulta est illicita, nisi fiat cum debitis conditionibus.

L. Per frequentes veniales detractiones de eadem Persona facillimè peccari potest graviter, & contrahi gravis obligatio restitutionis famæ. Qui occultum alterius crimen tantum ab aliis audivisse narrat, sine propria confirmatione, aut nocendi proposito, sæpè peccat contra Charitatem, plerumque contra justitiam.

U. I. O. G. D.

